

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
S I S T E N S
HISTORIAM
CHOLERAE MORBI
IN
PROCESSU EXTRANEO INCL. COMITATUS
POSONIENSIS GRASSANTIS
Q U A M
CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS AC DIRECTORIS
SPECTABILIS DOMINI DECANI ET TOTIUS INCLYTAE
FACULTATIS MEDICAE, PRO DOCTORIS MEDICINAE
GRADU RITE CONSEQUENDO, IN REGIA
SCIENTIARUM UNIVERSITATE PESTIENSI
CONSCRIPSIT

C A R O L U S D É V A N

NOSOC. AD S. ROCHUM EMERIT. ASSISTENS MEDICUS.

Theses adnexas disputabitur in aedibus Facultatis
medicae die mense Junii 1832.

B U D A E,
YPIS TYPOGR. REG. UNIVERSIT. HUNGARICAE.

EXCELLENTISSIMO,
DOMINO DOMINO,
ERNESTO E COMITIBUS PÁLFFY
AB ERDÖD,

SAC. CES. ET R. A. MAI. CAMERARIO, I. ORDINIS
MELITENSIS COMENDATORI, I. COMIT. POSON.
PERPETUO AC SUPREMO COMITI,
ETC ETC.

ITEM
EXCELLENTISSIMO,
DOMINO DOMINO,
FIDELI E COMITIBUS PÁLFFY
AB ERDÖD,

ACTUALI INT. STATUS CONSILIARIO, PER INCL.
REGNUM HUNGARIE TAVERNICORUM REGALIIUM
MAGISTRO. INCL COMITATUS ARVENSIS SUPREMO
COMITI, OFFICII ITEM SUPREMI COMITIS INCL.
COMITATUS POSONIENSIS ADMINISTRATORI
ETC. ETC.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
1000 S. EAST ASIAN AVENUE
CHICAGO, ILL. 60607

NEC NON
INCLYTIS, COMITATUS POSONIENSIS
STATIBUS AC ORDINIBUS,
VIRIS
SCIENTIA ERUDITIONE
AC
MUNIFICENTIA EMINENTISSIMIS
ETC. ETC.

20

Excellentissimi Domini

Inclyti Status ac Ordines!

Dum morbus Cholerae immanem charae Patriae stragem inferre minaretur, ii gratiosi facti sunt altissimo loco ordines, ut ad omnes fere partes Perso-
nae disponerentur Medicae, quas pro viribus morbo nimis necanti resistere oporteret. His sub rerum circumstantiis, ego eam fortunam habui, ut gratiose ad Inclytum Poseniensem Comitatum, prout id summo cum desiderio optabam, disponerem. Cum autem per integrum commorationis meae tempus singularem expertus fuerim Gratiam, summas semper Corde recondebam gratiarum actiones; ita ut per integrum vitae meae curriculum, singularis Gratiae cujus particeps fueram, semper summa cum gratitudine non possim non re-

cordari; hinc in signum peculiaris Venerationis cultus, in perpetuum duraturi, Excellentissimis Dominis ac Inclytis Statibus et Ordinibus; hasce laborum meorum primitias dedicare, ac gratiose suscipi humillimè desidero, supremum simul supra sidera munus, pro incolumitate vitae seraque senectute, Excellentissimorum Dominorum, ac Inclytorum Statuum ac Ordinum semper adoraturus

Excellentissimorum Dominorum
ac
Inclytorum Statuum et Ordinum

servus humillimus
AUCTOR.

P r o o e m i u m.

Observationes de Cholera morbo in Processu Extraneo conscientiose collectas publici facturus juris, alienus ab omnibus Hypothesibus, historiae morbi adinstar concinandas putavi, eum secutus ordinem, ut exposita prius brevi, Processus descriptione, hominum vitae genere (cum haec haud exiguum, ad ulteriorem morbi propagationem influxum habuerint) ultro morbi Diagnosi, Aetiologia, Prognosi ac Therapia occuparer, illud solum exoptans, ut ad plenariam Cholerae in Patria grassantis descriptionem symbolam conferre queam. —

Brevis Processus Extranei descriptio.

Processus Extraneus inferior vel etiam Szerediensis dictus, amoenum non minus fertile ac amplum habet terrenum, quadraginta sex pagos, duo Oppida et quadraginta sex millia incolarum possidens. Regio est plana, ut in integro Processu nec collis, eo minus mons quispiam conspici possit. Ex parte una nominatim Diószeg, Kossuth usque Alsó-Szeli et Nádszegh fluvio permeatur Nigro dicto, et ramis Danubii duobus, qui haud raro exundationes, stagnaque copiosa excitantes, aërem humidum impurum procreando, febribus intermittentibus occasionem praebent, ita ut nec rarum sit, copiosas pertinacesque febres intermittentes, Lienis, Hepatis et aliorum viscerum abdominalium infarctus conspicerè, quae per annum millia saepe incolarum necant; pro ut id anno 1830 observatum fuit, quo tempore, ultra duo millia et tercentos homines, febribus succubuisse constat.

Incolae Schlavi in Colonia Dioszeg Germani, in reliqua Processus parte Hungari, praecipue agricultura et re pecuaria occupantur, et cum terrenum habeant amplum ac fertile, opulenti, lautiori vitae asveti, nec vini quidem potum spernunt. In sic constituto Processu morbus primo in Possessionibus Comitatus Nitriensi adjacentibus, ubi jam sub initium Julii ejus comparuere symptomata, ob-

servabatur; ita, ut Szeredini 25-ta et in Possessione Pered 27-a Julii prima ejus indicia manifestarentur; ast in Possessionibus magis dissitis, nominatim Nádszegh tantum 20 Augusti, sed nimis pertinaciter servire inceperit, ut in integro Processu praeter Possessionem Tos-Nyaros (ubi jam in Januario ejusdem anni pertinax et necans Diarrhoea conspecta fuit) ingratum constituerit hospitem.

Numerus aegrorum fuit magnus, et prout ex Tabellis Excelso Consilio L. T. Hung. per Inclytam sanitatis Deputationem submissis, patet decem fere millia adaequavit, e quibus ter mille quadringenti septuaginta, misere occubuerunt, et haud pauci cum malis morbi posthumis licet servati coluctandum haberent.

His sub rerum circumstantiis, solertia nimia Inclytorum Statuum ac Ordinum eos gratiosos fecit ordines, ut pro ejusdem Processus, sanitatis Deputationis membris, Viros scientia humanitate, eruditioneque excellentes Spectabiles Dominos: Vice Comitem Franciscum Fekete, Ord. Judicem Nobilium Camillum Marschovszky, Dominos Assessores e primariis, Abrahamfy, et Jezernitzky, ac substitutum Judicium Thebery denominaverit, qui indefessi non solum Consilio, sed et opibus, miserae plebi auxilium ferre haud gravabantur.

Diagnosis.

a. Stadium Prodromorum.

Antequam morbus evolutus fuisset, haud raro vera et genuina Cholerae symptomata alienationes tam in vita vegetabili, quam animali conspiciere fuit, inter quae praecipua observavi:

1-mo. Peculiarem anxietatis sensum, homines licet secus sani conquerebantur, de somno fugato, inquietudine summa, ita ut mox cubilia intrare, mox oberare absque tamen certo fine cogerentur, matres vero hoc tempore anxias cum prolibus, lubentius ac sexus conversari conspexi, his symptomatibus mox longiori mox breviori tempore durantibus, ingratus quoque Cordis, constrictionis, gravitatis, aut palpitationis, accessit sensus aegros mox in summum periculum praecipitans.

2-do. Praessionem in regione Scrobiculi cordis, non solum sumto cibo sed et ventriculo jejuno observatam. Ubicunque haec videre ac percipere fuit, ibi morbi invasio fere semper a vomitu initium sumpsit.

3-tio. Spasmodicos dolores in Extremitatibus at plurimum inferioribus, quin tamen statim vegetationis organorum functiones turbarentur, quin imo conspexi proles, quae dum cum gemitu de dolore pedum conquererentur,

tamen porrectum panem aut fructus cum appetitu consumerent. His sub circumstantiis mox cum vomitu mox cum Diarrhoea invasio facta.

4-to. Diarrhoeam. — Distinguebatur haec a comuni eo, quod feces nimius fluidae, aquosae, quantitate exigua, ut plurimum absque dolore. saepe insciis etiam aegris, aut saltem subito, nisus evacuationis oriretur, et nimis pertinax fuerit. — Haec duravit saepe per dies 14. quin periculosiora ei adnecterentur symptomata.

Sed in summo morbi gradu, saepe nullas observavi molestias praegressas, quin imo, saepe homines laboribus dum occuparentur, vegeti, jocantes, quasi appoplectice corruerunt, mox describenda morbi symptomata offerentes. Sed frequentius symptomatibus nominatis mox longiori tempore, saepe per dies, saepe per horas paucas durante successit :

b. Stadium invasionis.

Aegrorum anxietate saepe usque adeo crescente, ut lecto decumbentes, subito prosilirent, vomituritione, vomitu difficili, spasmodica quasi aesophagi ac pharyngis constrictione correpti, initio aliquid, liquoris pellucidi — aquosi, aut mucosi, rarissime cibos assumptos evacuarunt, penes singulum autem vomitum, et paulo post, extremitatum accesserunt, spas-

mi adeo dolorifici, ut misere ejulantes aegros, saepe ad viginti passus remotus, summa cum comiseratione audiverim. Mox Diarrhoea quoque fatalis aequae ac pertinax ejusdem fuit comes, quae frequenter tenesmo juncta, molestias aegrorum haud parum auxit.

Sub his rerum circumstantiis habitus aegrorum peculiaris fuit, ita ut jam post binum aut ternum symptomatum reditum, oculos tristes in orbitam retractos, splendoris vitrei, visum obnubilatum aut plane sublatum (prout id in Possessione Also-Szeli in viro annorum circiter sexaginta, observavi, qui ante choleram licet visu distincto praeditus morbo correptus, me accedentem amplius non vidit) Circa oculos anulum lividum, corpus totum emaciatum, respirationem brevem anxiam, in regione scrobiculi cordis, ardorem insolentem, ac calorem ingratum sumum, licet lingua et tota corporis superficies marmorei fuerit frigoris; pulsum arteriarum parvum, saepe nonnisi manu versatissima palpabilem, tandem poenitus suppressum — atque sub his circumstantiis extremitates lividas integumentorum comunium totius corporis colorem profundiolem, suspiria anxiosa plura, vocem debilem saepe raucam, ultimo vix perceptibilem offerebant. — His id quoque accessit, quod aegri symptomatibus enumeratis adfecti, lectorum stragula dejiciendo, sese aut ad terram, loca frigida, aut ante domiciliorum suorum portas, deponerent. Si-

tis quae statim in Exordio morbi nimia fuit nunc jam adeo increvit, ut aegri puteos plane aquarum, aut fluvios praeter fluentes accederent, summa cum aviditate aquam recentem bibentes.

Morbi symptomata tamen ubique tanto stipata periculo observare non fuit, nam dum mitior fuerat character morbi, symptomata nec ita tumultuarie, nec pernitiouse agentia conspexi, et vomitu ac alvi aliquod evacuationibus, spasimis extremitatum mox superatis, brevi pristina redivit valetudo. Id quod praesertim cum longiori tempore cholera in Possessionibus hospitaretur observavi, dum e contra homines sub morbi exordium haud raro jam post duarum horarum spatium, jugularentur.

Morbum dum ad hunc gradum evolutus fuisset, sumoque cholerae acme superato, longe alia, et in diversis hominibus diversa exceperunt symptomata. Ita ut haud pauci, peculiarem oppressionis pectoris sensum, dolorem in hypochondrio dextro aut regione Epigastrica longe ac secus majorem senserint, Diarrhoea tamen semper continuante, alvo saepe insciis aegris evacuata.

Eo tamen non obstante aegri plurimi usque ad ipsam mortem plenam retinuerunt sui conscientiam; dum e contra alii, in summam somnolentiam, aut potius soporem incidissent, qui iterum duplicis videbatur indolis. Aliqui

oculos, vidum ad excitationem violentiori opus haberent vitreos, linguam gelidam humidam, arteriarum pulsum, debilem vix palpabilem; alii oculos rubicundos linguam sicciusculam, mox materia spissa tegendam arteriarum pulsum parvum ac contractum, et singularem frontis calorem offerrebant.

Hanc diversitatem magni fuisse momenti ex praxi edoctus sum, cum recta adornata mendendi methodo, et saepe e diametro oppositis remediis, diversis hisce symptomatibus, succurrendum fuerit.

Sed observavi haud paucos, qui remissis symptomatibus cholerae, paccatiores, hilariores ad nimiam secus insolitam sermocinationem prona redditi sunt, quamvis ita fuerint exhausti, ut corporis adspectum tristem, pulsum arteriarum vix palpabilem, examinanti obtulerint, et post paucas horas, quod imprimis in Pharmacopeo Galanthensi Liszer et ejusdem affine observavi, e vivis secesserint.

Aetiology.

Homines absque discrimine aetatis, senes prout et proles ad ubera matrum, sexus, conditionis tamen imprimis inferioris, morbo correpti fuerunt, ita ut niniopere gratularer e Spectabilibus Dominis Composessoribus nul-

lum infirmatum fuisse majorem itaque ad hunc morbum videbantur habuisse dispositionem pauperes, ac magis egeni; majorem ii qui potui spirituofo nimio dediti fuerunt noctes infomnes frequenter transegerunt, et maximam qui praeter haec peculiari timore de contagio fufcipiendo angebantur. —

Animi autem pathemata, fingulari ratione hoc praepremis tempore, homines ad morbum Cholerae fufcipiendum praepararunt, ut haud rara fint exempla cholera, post nimium gaudium, terrorem — iram etc correptorum, ita ut quidquid fystema nervorum, ftimulo majori excitaret, id nunc magis ac fecus noxium obfervaretur.

Major aderat difpofitionis gradus hominibus iis, qui hoc tempore aquam, ex praeter fluentibus ramis Danubii, aut fluvio Poffeffionem Koffuth, Alfo - Szeli etc. permanente hauserunt, nam praeter quod ipfa hujus fluvii aqua, minus grata ac pura fit, ad ejus naturam magis destruendam id quoque accessit, quod homines canabes quae copiofae hic loci procreantur in iisdem fluviiis, e quibus aquam pro potu hauriunt, macerare afveverint.

Hominibus, labe quacunquae abdominali Chronica, Hypochondriacis, faeminis hystericis, Lienis, Hepatis infarctibus, habituali qua-

cunque Diarrhoeae specie adfectis, singularis ad hunc morbum erat dispositio.

Affectiones rheumaticae aut Catarrhales, majori in gradu evolutae, magis ac secus pertinaces, haud raro dispositionem, ad ipsam quoque choleram auxerunt, quod imprimis tunc observatum fuit, dum Diarrhoea indolis nominatae, longiori aegros divexasset tempore, hinc refrigerium parti cuidam corporis, praecipuis autem abdomini admissum maxime semper nocuit, imprimis, iis qui singulari organorum abdominalium hyperkynesia, aut habitualibus Colicis doloribus adfecti fuerunt.

Transpiratio cutis quacunq̄ue de causa interturbata, sudor forte suppressus, et omnes causae sanitatis statum, imutare valentes, organismum debilitantes, energiam vitalem iminuentes, aut saltem plures causarum disponentium enumeratarum, eodem tempore agentes prout ad alios morbos, ita quoque ad Cholerae morbum suscipiendam, organismum singulari disponebant ratione.

Quaenam excitans morbi fuerit Causa non satis constat, apud debiliores eosquidem, qui primarum viarum peculiari labe adfecti fuerunt, jam etiam causae disponentes longiori tempore, in aegrum vi sua maligna agentes ad excitantium numerum evectae sunt. — Videntur tamen peculiariora phoenomena athmo-

sphaerae, hoc tempore observata, ut: Nebulae foetidae in Possessionibus imprimis Kossuth, Oppido Szered et aliis observata, ita ut hominum imaginem, vix ad passus aliquod distantium, diurno licet tempore distinguere licuerit, excitantem constituisse causam.

In aliis quibusdam Possessionibus vapores foetidi e terra ascendentis observati sunt, et quotiescunque talia comparuerunt naturae phaenomena, toties aegrorum numerus, in integro processu mihi concredito accrevit. Sed praeter haec proprium quoque in quibusdam casibus videbatur evolvi contagium Cholerae, cui praecipue aeris impuritas, rusticorum cubilia immunda vestimentorum defectus, et id imprimis contulit, quod homines lecticis destituerentur, et haud raro plures in uno concubuerint lecto.

Pro hoc offerto liceat mihi quaedam adferre exempla.

In Possessione Szent-Abrham primi aegri in Cholera decumbentes fuerunt duae faeminae gravidae, aetatis mediae, prior doloribus ad partum comparentibus, posterior in octavo mense gravida, morbo correpta est, in illa dolores ad partum cessarunt, et in utraque evolutissima Cholerae symptomata conspexi. In domibus Possessionis Majthény faeminarum earum, quae aegras visitarunt primo evolu-

tum fuisse morbum conspexi. Dominus Chirurgiae Magister Czirhoffer ac loci Abrahā Notarius, cum praejungente equos auriga, aegras accedentes, eadem die omnes quidem tres Cholera correpti sunt, ita ut usque meum adventum, duos mortuos repererim, et solum loci Notarium salvare potuerim.

Mortuo Chyrurgiae Magistro aegras adhuc tamen viventes, his accessi, et quotiescunque domum rediveram, anxietatem peculiarem sensum ardoris in regione scrobiculi cordis et vomituritionem expertus sum, ita ut solum nimiae solertiae familiae Spectabilis Domini Ord. Judlium Marschovszky, quae mihi omnia libentissime exhibebat, impeditam morbi evolutionem in acceptis referre debeam.

Possessio Deaky, quae se penitus ab omnibus Possessionibus segregavit, omnium ultima Cholera eamque minus pertinacem experta est.

Ast quomodocunque se res habeat non ubique talia Infectionis observavi symptomata, nam in Possessione Viszkeleth molitor, qui societatem hominum fugiens, licet se, antequam Cholera locum adhuc ingressa fuisset, cubili occlusisset, primus omnium in Cholera mortuus est. Hinc itaque concludere licet morbum Epidemicum in quibusdam tamen casibus contagiosam quoque induisse naturam.

P r o g n o s i s.

In determinanda morbi Prognosi omnium momentorum recta habeatur ratio necesse est, hinc ejus in quibusdam Posessionibus, cum aliis morbis complicatio, speciatim in Vágha et Vággh-Szerdahely cum morbo verminoso et in Posessione Hidas Kúrth, cum feбри gastrico biliosa, notanda venit. Ibi omnibus cholerae symptomatibus id peculiaris accessit quod aegri vomitu, rarius per alvum, Ascarides Lumbricoides, saepe ad Spitamae unius longitudinem, evacuaverint; ita ut facile concludi potuisset, morbum hunc non choleram sed potius verminosum fuisse. Interim hic quoque causam solum praedisponentem videntur vermes intestinales constituisse, nam:

1-mo. Si morbus fuisset verminosus, symptomata cholerae, ut spasmi extremitatum, dolor abdominis, Scrobiculi cordis, Vomitus, Diarrhoea subito producta non fuissent, cum vermes paulatim incretentes, prius quoque symptomata morbosa producere debuissent.

2-do. Vomitu et Diarrhoea licet saepe ejicerentur vermes, aegroti pristinae tamen valetudini restituti non sunt, quod tamen fieri debuisset, si soli vermes causam morbi constituissent, fomite enim morbi extincto, ipse quoque morbus extinguatur necesse est.

5-tio. Therapiae usus docuit remedia in Cholera morbo laudata his quoque aegris profuisse. Interim complicatio haec morbum semper constituebat summo periculo plenum, morte haud raro terminantem.

Minus fausta fuit Prognosis in complicatione morbi cum feбри gastrico-biliosa, nam aegri jam hoc solo morbo debilitati, accedente Cholera, ad superanda ejus symptomata minus idonei plurimi occubuerunt.

Eandem Prognosim habuit et morbus ab Diarrhoea, saepe per 14 dies durante orsus, nam haec quoque deleterium et debilitantem exeruit effectum, prouti et morbus aspasmis incipiens, qui omnium citissime morte terminari amavit.

Laetior aliquantum fuit exitus Cholerae quae organismum prius sanum, non tamen nimis plethoricum, congestionibus praepremis versus Encephalon habitualibus, aut labe aliqua primarum viarum adfectum invasit, praeterea ubi auxilium statim in exordio morbi adferre licuit, — ac denique apud eos qui octavam morbi diem superarunt. Sed et eorum quoque, qui penitus a Cholera liberati fuerunt, haud raro comiseratione digna sors fuit, ut gravi licet morbo salvati, gaudio tamen nimis brevi fruerentur, sufficiat aliquos hic numerasse casus:

In Possessione Király - Rév, dominio R. Scientiarum Universitatis. Colonus Joh. Morvay vir robustus annorum 45, uxoratus, per integrum vitae suae curriculum, si febres intermittentes, exceperis, sanus die 20 Aug. 1831. Cholera morbo corripitur, qua remediis justis adhibitis liberatus hemiplegia sinistra adfectus fuit. Mox extremitas superior et inferior tumens, quasi spongiosa conspecta, et in extremitate inferiori, inde a pede usque articulationem genu, exoritur ulcus, gangrena et Sphacelo terminans, ita ut aeger feбри accedente hectica post 14 dies moreretur.

Sed haud raras quoque observavi Parotitides, quae eo pejorem habuerunt exitum, quo aegri prius magis emaciati, quacunque humorum Dyscrasia laborarunt.

Oeconomus Spectabilis Domini Ordin. Judicis nobilium Marschovszky vix superatis Cholerae symptomatibus, in febrim incidit intermittentem, quotidianam, Paroxysmos vidi duos, et sub quolibet febrili insultu sanguinis versus pectus et Encephalon, tanta fuit congestio ut aeger fere suffocaretur, interim justis adhibitis remediis, ac indoli morbi accommodatis, salvatus est.

In Possessione Nyék vir annorum 30 superato Cholerae morbo, summo fatuitatis gra-

dū adfectus est, ita ut praeter vocem hungaricam (igen) nil proferre potuerit, post 14 tamen dierum decursum, pristinum iudicium paulatim redire visum. Sed nec exiguus erat eorum numerus, qui Cophosi, Alalia, Ambliopia etc. adfecti fuerunt; ita ut morbus semper periculo plenus, teneras meas in arte medica vires haud parum vexaverit.

T h e r a p i a.

Ut in tanta confusione, tantoque aegrorum numero feliciter versarer, quotiescunque fieri potuit, consilium eruditorum Virorum expetere haud neglexi. Spectabilis Dominus Ordinarius Physicus Marschovszky, Vir experientia eximius, licet octuaginta fere numeret annos, et Posonii sedem habeat, Patris instar dilectissimi me et aegros meos lubentissime visitavit. Id quoque fecerat Spectabilis Dominus Physicus Frey, qui fere toto tempore solus quoque minus favorabili gaudebat valetudine; et nec exiguo gaudio correptus sum, dum sub hoc rerum discrimine de adventu quoque Viri Magnifici Professoris mihi semper Venerandi Bene, cujus therapeuticis principiis obsequi asseveram, instructus fuisset.

Ut autem cum successu in sanandis aegris versarer, omnia quaecunque in teneris meis viribus, ad conservandos aegros sita erant,

facere haud neglexi. Cum autem observatum fuerit, anxietatem qua tunc temporis fere omnes Incolae adficiebantur, disponentem causam constituisse, hinc Inclytæ sanitatis Depu- tatio eos fecit ordines, ut per integrum tem- pus campanas mortuis pulsare vetitum fuerit.

Ut aerem quantum fieri potest salubrem haberent, svasi ut acetum, quod hominibus gratis et sufficienti quantitate exhibebatur, su- per moderato calore, leni evaporationi expo- neretur, et ubi forte majorem aegrorum nu- merum aut plures in cumulo habitantes ob- servassem, chlorate quoque calcis aeri pur- gando succurrebam. Quoad mortuos autem ii facti sunt Ordines, ut post horas circiter duo- decim, ad Cemeterium, ubi pro tumbis tectum exstructum fuerat; deportarentur, et 24 fere horis ibidem manerent.

In therapia adornanda primam indicatio- nem desumsi a causis excitantibus ac dispo- nentibus, quas si fieri potuit, semper solerter remove conabar, interim cum dolore fa- teor, has nec semper cognosci, eo minus re- moveri potuisse. Svasi itaque generatim, ut refrigerium quod haud raro morbum excita- vit, nocturnas oberrationes, spirituosorum ni- mium usum, aut plane ingurgitionem, ventri- culi majore ciborum quantitate, oppletionem etc. solertissime fugiant.

Qui labe aliqua gastrica adfecti fuerant, iis remedia morbo congrua, mox emetica, Ipecacuanham aut solam aut Tartaro emetico junctam, vel purgantem exhibui medicinam, Tartarum emeticum solum nunquam adhibui, cum in hominibus ad Diarrhoeam hoc tempore nimis dispositis, nimias quoque viderim alvi evacuationes. — Emeticum tale praeprimis bonum habuisse effectum in Possessione Hidas-Kürth, ubi copiosi aegri in febris Gastrico-biliosa decumbabant, quae neglecta aut male curata, Cholera terminari amabat, observavi.

Diarrhoeam fere semper nimis pertinacem conspexi, et in ea cito curanda, eam difficultatem, quod remedia mucilaginosa, praescribere non potuerim, nam pharmacopolum nimis distans, hominum paupertas, et numerus magnus, svasit, non tantum Oeconomiae studere, sed et remedia talia praescribere, quae longiori servari possint tempore, et facilis sint transportationis.

Aegris hac affectis aut pulv. Doveri, aut Tincturam Opii guttatim in Decocto seminum hordei domi parandum, quod exiguo venit pretio, et facile parari potuit, cum semina talia, agricolae, ubique sufficienti quantitate habuerint.

Dum autem ipsa conspexissem Cholerae symptomata, pro diversa individualitatae et morbi caractere, diversam adhibui medendi methodum; universalis enim cura adhiberi non potuit, et haud raro in individualibus casibus deleterium exeruit effectum.

Hinc omnibus symptomatibus cholerae jam praesentibus attentionem meam direxi, non solum ad aetatem, constitutionem, sed imprimis ad ipsa quoque organa digestionis ac chylicationis.

Praesente complicatione gastrica, licet aegri jam vomerent, eo non obstante Ipecacuanan, exhibere non neglexi, materiaque peccante evacuata, haud raro, statum melioratum conspexi — sed hic quoque attentio ad constitutionem corporis dirigi debuit, nam plethoricis junioribus, aut faeminis, ante ipsum fluxus Cathamenialis tempus, Emetico, sanguinis evacuatio utplurimum universalis praemittenda erat. Ubi autem nulla talis gastrica, aut universalis complicatio aderat, ibi Ipecacuanha cum opio, statim exhibita, bonum exeruit effectum, comendavi aegris potus theatos ex herba chamouillae menthae crispae domi parandos, ad abdomen cineres clavelatos calidos, aut clismata, ex hordeo comminuto, vel furfuribus parata.

Spasms optimo cum effectu exhibui radicem armoraciae rasam cum aceto mixtam, quae ubique sufficienti quantitate habebatur, quin imo nec exiguus ejus fuerat effectus in doloribus quoque vertriculi, dum Epispasticum tale regioni Epigastricae apponeretur.

Ubi autem aegri praeter symptomata omnia Cholerae, oculos rubicundos, sensum in vericulo ardoris offerebant, iis ad caput fomenta frigida; potus frigidi, serum lactis, imo lac ipsum proficuum fuit.

Sed saepe observavi aegros praeter supra adlata singulari quoque abdominis dolore adfectos fuisse his ubi fieri potuit (clismata ex infuso florum Chamomillae, cum mucilagina quadam juncta, addita saepe assa foetida proficua fuerunt. Aegris vero qui jam post aliquot vomitus, praeter comunem omnibus algorem, oculos nimis profunde retractos, corpus quasi ligneum, exhaustum, vocem et arteriarum pulsum vix perceptibilem, offerentibus Camphora cum Opio et quidem saepe majori Dosi exhibita, pristinum salutis vigorem restituit. Liceat mihi pro hoc asserto duo saltem adferre exempla:

Inquilini Joh. Kiss proles, filiolum annorum undecim ac filium annorum novem natos, oculorum splendore vitreo, corpore frigidissimo, pulsum jam vix palpabili praeditas con-

spexi, ita ut quiete jacendo nullam vocem et praeter respirium tardum nulla vitae alia signa ederent, palpebras non ex integro clausas, scleroticam visui examinanti offerentes, vomitu amplius nullo, sed Diarrhoea adhuc continante. His sub rerum circumstantiis ad exhaustas per praecedentem choleram, vires concludendo nisi summe stimulantia adhibuero, vitae extinctionem subsequituram timui; Epispasticis ex radice armoraciae rasa, quae hic locorum nimis diligebatur, interne vero singulae proli, Opii puri *gran. semis* Camphor *gran. duo* Elcoscuch. faenic. *gran. decem* pro dosi exhibitis, et spatio unius horae repetitis, vitam quasi e profundo somno resuscitari, calorem animale redire, atque sic statum aegrorum meliorari conspiciens, praeter jusculum vinaceum, cum vitello ovi paratum, usque plenam reconvalescentiam nil exhibui. Interim ita hoeroica remedia tantum tunc adhibui, dum nulla inflammationis aut manifestae congestionis signa observassem.

Apud aegros, qui praeter enumerata symptomata, peculiarem in pectore oppressionis sensum, aut singulares ad nobilissimum organon Encephalon congestionis signa offerrebant, nec non apud quos morbus a spasmodis nimis intensis initium sumpsit, venae sectio, quae nunquam sat cito fieri potuit, optimum exercuit effectum, ita ut hac neglecta, raro aegros pristinae valetudini restituere licuerit, hoc idem

faciendum erat et apud eos, qui nimio potui spirituoſo dediti, aut plane poſt hauſtum majori quantitate vinum Cholera correpti fuerunt.

His ſub rerum circumſtantiis remediis individualitati aegrorum accomodatis, juſto tempore ac ſolenter adhibitis, haud paucos aegrorum ſalvare licuit; interim cum dolore fateri debeo, remedia nec ubique — prompte, nec ſtatim ſub morbi exordium adhibita fuiſſe, cum numerus aegrorum magnus, perſonarum vero medicinalium proportionate exiguus fuerit, et niſi Viri Spectatiſſimi ac illuſtriſſimi Domini terreſtres nec non Poſſeſſionum Venerandi Parochi, curationi manus admoviſſent, medicina, cibos etc. exhibuiſſent, longe plures numeraviſſemus mortuos.

De reconvaſcentia.

Morbi Poſthumi cum characterem, a Cholera longe diverſum conſtituerint, propria etiam methodo curandi erant, adeoque iuſtar aliorum morborum tractandi ea tantum cum circumſpectione, quod in organismo per Choleram nimis exhauſto occurrerint, hinc largiorem medici manum popoſcerint. Hic tantum de iis loquor qui nullam ſubiverunt meſtaſim, ſed morbo ſuperato priſtinae paulatim reſtituebantur valetudini, his praeter po-

tulenta, cibosque, stomachalibus simul succurrendum erat, cum fere omnes, organa digestionis ac chylicationis singulariter labefactata offerrent. Domini terrestres Viri meritissimi singulari erga subditelam, ac famulitium ducebantur gratia, ita ut reconvalescentibus, praeter vinum, carnes quoque ac panem exhibuerint. —

Ego autem ex parte Medica vinum medicatum ex Radice Gentianae, Herba trif. fibr. Centaur. minor Cortice cassiae lign. et vino rubro paratum, et apud Dominos locum Notarios servatum, poculo minori exhiberi jussi, quod iis quoque profuit, qui praeter debilitatem organorum digestionis, feбри quoque intermittente adfecti fuerunt.

T h e s e s .

1. **P**rognosis Cholerae semper anceps.
 2. Cholera sub certis circumstantiis potest fieri contagiosa.
 3. Hepar arganon non tantum secretionis, sed et respirationis ac assimilationis.
 4. Humanitas Medici, saepe plus ac medicamen ipsum praestat.
 5. Vis naturae medicatrix, medicos minime reddit superfluos.
 6. Amaurosis saepe antiphlogisticis remediis sananda.
 7. Anatomiae Comparativae summus in medicina usus.
 8. Fluida organismi vivi, solidis haud minori gaudent vitalitate.
 9. Planities, fluvii, stagna, Cholerae propagationi favent.
 10. Praxis nosocomialis facilius ac privata.
 11. Medicis Chirurgiae quoque gnarus sit, oportet.
 12. Causa excitans morbum, summa attentione digna.
 13. Regimen Diaeteticum scrophulosis maxime prodest.
-

